



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De Baptismo Et Confirmatione - Dvobus Libris Explicata

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XII. De ministro huius Sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53934)

## CAPVT XII.

## De ministro huius Sacramenti.



EQVITVR Controuersia QVINTA; Vtrum minister Sacramenti Confirmationis sit solus Episcopus. Et quidem hæretici licet hunc ritum è numero Sacramentorum auferant, tamen etiam si Sacramentum esset ipsorum quoque opinione, negant ad solos Episcopos eius ministerium vlllo modo pertinere. Ioan. Wiclef libro 4. Trialogi, capite 14. aperte negat esse Episcoporum proprium munus confirmare. Idem habet Calvinus libro 4. Instit. cap. 19. §. 10. Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 324. & alij, fortè omnes, præsertim cùm ipse vix agnoscant differentiam inter Episcopum, & presbyterum, vt in libro de clericis ostendimus.

Ex Catholicis solus est Richardus Armachanus, qui in libro II. Armenicarum quæst. capite 4. existimat, commune esse Episcopis, & Presbyteris munus confirmandi, atque ab hoc Armachano arbitratur Thomas Walden. libro 2. de Sacramentis, capite 114. haussisse Wiclefum suam hæresim: Fuit enim Armachanus paulò antiquior Wiclefo, quamuis eodem seculo vixerint. Ceteri omnes communi consensu doceant, solum Episcopum esse proprium huius Sacramenti ministrum.

Est quidem inter Catholicos quæstio, an saltem ex dispensatione possit presbyter hoc Sacramentum conferre. Nam S. Bonauentura, Durandus, & Adrianus in 4. distinct. 7. contendunt id nullo modo cõmitti posse presbyteris; sed S. Thomas 3. par. quæst. 72. art. 11. & omnes eius discipuli, & multi alij Theologi in 4. distinct. 7. vt Richardus, Paludanus, Marfilins, & alij, & omnes Canonistæ in can. 1. dist. 95. contrarium docent: & quidem longè verius est, quod isti posteriores affirmant. NAM AMBROSIVS in cap. 4. ad Ephes. testatur in Ægypto presbyteros confirmare in absentia Episcoporum neque reprehendit eum vsu. GREGORIVS. lib. 3. epist. 26. apertissimè permittit presbyteris Sardinia, vt in absentia Episcoporum confirmet: & quia corruptus est hic locus Gregorij, fortè a fautoribus cõtrariæ sententiæ (nã dicit se permittere, vt baptizandos ungat, cùm dicere deberet, vt baptizatos) cõferatur hic locus cum



cum epistola 9. eiusdem lib. 3. inde enim manifestè apparebit corruptio. Siquidem in epistola 26. dicit, se permittere, quod in epistola 9. prohibuerat: prohibuerat autem, ne presbyteri vngerent in fronte baptizatos. Vnde etià Gratianus, & S. Thomas hunc locum ita citant, vt esse debet, non vt modò legitur in codicibus impressis. PRAETerea Concilium Arausicanū, cano. 1. & 2. & Toletanum I. can. 20. & Martinus Bracarenis, capite 52. Graecarum Synodorum, & Florentinum in instruct. Armenorum, idem habent. DENIQUE Concilium Trident. sess. 7. can. 3. de Confirmatione, idè ait, ordinariū ministrum esse Episcopum, vt indicaret, posse extraordinaria potestate idem fieri etià à presbytero. Ex quo apparet error Kemnitij, qui in suo Exam. parte 2. pag. 325. dicit, Concilium definiisse contra S. Thomam, & alios quosdam doctores, immò & contra ipsum S. Gregorium, solum Episcopum esse ministrum Confirmationis.

Sed his omissis, probatur Catholica veritas apertissimo Scripturae testimonio. Nam Actorum 8. missi sunt Petrus, & Ioannes, vt per impositionem manuum darent Spiritum sanctum iis, quos Philippus in Samaria baptizauerat. & Actorum 19. Paulus ipse Apostolus manus imponit illis, quos alij baptizauerat, At certè nulla videtur posse fingi causa, cur soli Apostoli manus imponant; immò cur ad hoc ipsum veniant ex no loco ad alium, nisi quia hoc munus propriè pertinet ad primum gradum Ecclesiasticum, qui est sine controuersa Episcopalis.

AD HOC Wiclefus respondet, illos, quos Philippus baptizauerat, fortè non fuisse legitimè baptizatos, & idè rursus fuisse baptizandos ab Apostolis, vt acciperent Spiritum sanctum.

SED haec solutio ineptissima est. Nam quis credat, Philippum Diaconum post acceptum Spiritum sanctum, non rectè baptizasse? & deinde si erant rebaptizandi, quid opus erat, vt Apostoli venirent ex Hierusalem? non poterant significare per literas, aut alium mittere, qui illos ritè, baptizaret? Denique Apostoli cur tantùm imposuerunt manus, & non etià baptizauerunt, si illi non erant ritè baptizati? Neque obstat, quòd dicantur baptizati in nomine Domini Iesu, & non in nomine Trinitatis. Nam (vt supra ostendimus) Lucas breuiter describit ritum Baptismi, ex parte intelligi volens totum.

Calvinus



Calvinus loco citato respondet, quod Apostoli fecerunt, non posse tribui Episcopis, aut certè non solis Episcopis. Nam Episcopi non sunt Apostoli: quod si tenent, quoad aliquid, locum Apostolorum, eundem locum tenent etiam presbyteri. Nam alioqui non liceret presbyteris, sed solis Episcopis communicare sub utraque specie: id enim soli Apostoli in Cæna Domini fecerunt.

RESPONDEO; Episcopos solos simpliciter, & absolute Apostolis succedere. Observandum enim est in Apostolica auctoritate contineri omnem Ecclesiasticam potestatem. Erant enim Apostoli PRIMVM Christiani, & membra Ecclesiæ. SECUNDO erant Sacerdotes. TERTIO summi Sacerdotes. QUARTO summi non vno in loco, sed in toto orbe terrarum: poterant enim ubique prædicare, baptizare, ordinare, leges ferre, punire, &c. Sed hoc vltimum in solo Petro fuit ordinarium munus, in ceteris extraordinarium, & quasi delegatum: & idcirco soli Petro succedi videmus, non autem vlli alteri Apostolo in illa summa in totum orbem potestate. Cetera tria erant omnibus ordinaria. Quare licet omnes Christiani alquo modo succedant Apostolis, quatenus illi fuerunt primi Christiani: & oēs Sacerdotes eisdem Apostolis succedant, quatenus illi fuerunt primi Sacerdotes: & omnes Episcopi eisdem succedant, quatenus illi fuerunt primi summi Sacerdotes: tamen soli isti simpliciter illis succedunt, quia succedunt in tota eorum ordinaria auctoritate, in qua sola succedi potest. Idq; patet etiam ex praxi & testimonio Sanctorum. Nam si quis petat, quis successit Apostolo Iacobo? omnes respondet, Episcopus Hierosolymæ. Quis Apostolo Ioanni? Episcopus Ephesus. Ad hæc Concilium Neocæsariense can. 13. Damasus in epist. 4. de Chorepiscopis. Hieronymus in epist. ad Marcellam de erroribus Mōtani. Leo epist. 88. Augustin. in Psal. 44. in illud: *Pro patribus nati sunt tibi filij.* & alij veteres passim affirmant, Episcopos Apostolis succedere

Sed DICES, vnde scimus Apostolos manus imposuisse, Act. 8 vt Episcopos, & non vt Presbyteros, vel vt Apostolos per extraordinariam potestatem? RESPONDEO; quod non vt presbyteri, inde constar, tum quia Scriptura nunquam tribuit hoc officium nisi ipsis Apostolis, cum alia officia, vt prædicandi, & baptizandi tribuat etiã aliis inferioribus ministris: quod non



vt Apostoli per extraordinariam potestatem; colligitur tum ex eo, quod Hebr. 6. numeratur hæc manus impositio cum reliquis ordinariis Ecclesie ritibus; tum ex eo, quod semper in Ecclesia mansit ista consuetudo, vt Episcopi manus imponerent baptizatis.

**SECUNDO** probatur eadem veritas testimoniis, & traditione Ecclesiastica. Nam Concilia, Pontifices, & Patres citati in prima controuersia, communi consensu docent, solos Episcopos esse propriè Sacramenti huius ministros: idque probant ex cap. 3. Actor.

**TERTIO**, probatur etiam ratione. Nam Confirmatio est complementum, & perfectio Baptismi; proinde conuenit, vt à primario ministro detur: sic enim in omnibus aliis rebus vltima forma imprimitur à primo agente. Præterea in Confirmatione adscribimur ad Christi militiam; adscribere autem ad militiam, proprium est Ducum, & Imperatorum.

Neque argumenta Caluini, & Kemnitij difficulter soluntur. Argumentum **PRIMUM** Caluini. Error est Donatistarum, quod Sacramentum pendeat à dignitate ministri. **RESPONDEO** Si de dignitate morali agatur, verum est, si de Ecclesiastica, falsissimum. Alioqui esset etiam error Donatistarum, quod soli presbyteri ministrarent Corpus Domini, immò & Baptismum, secundum Caluinum.

**SECUNDVM** argumentum. Presbyteri succedunt Apostolis, vt patet de ministerio Eucharistiae, quod solis Apostolis commissum fuerat. **RESPONDEO**, Apostolos in vltima Cæna presbyteros creatos fuisse, non autem Episcopos, Episcopi enim post resurrectionem facti sunt, cum eis diceretur, Ioan. 10. *Ecce ego mitto vos, &c.* Itaque presbyteri in aliqua re Apostolis succedunt, sed non in omnibus, neque absolutè, vt diximus.

**TERTIVM** argumentum, I. Tim. 4. Paulus ait: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterorum.* & Ananias Act. 9. imposuit manus Paulo, & tamè non erat Episcopus. **RESPONDEO** ad hoc argumentum, quod est Armachani; non tractari eo loco de Confirmatione, sed de Ordinatione Timothei; & præterea per illam vocem (*Presbyterorum*) intelligi chorum presbyterorum, id est, Episcoporum, vt exponunt Chrysostomus & alij: multi enim Episcopi, vnum Episcopum ordinant; vnus autem solus confirmat.

Ad illud



Ad illud de Anania, quod mutud accepit Calvinus à Wiclefo, ut ille ab Armachano; dico Ananiam imposuisse manū Paulo ad hoc, ut visum reciperet, ut ibidem legimus. Quare nō fuit confirmatoria, sed curatoria illa impositio manus: unde facta est ante Baptismum, non postea, ut fieri debet Confirmatio neq; descendit tunc visibiliter Spiritus sanctus, sed ceciderunt tanquam squamæ ab oculis eius: *At, inquit, Ananiam cum imponeret manus, dicebat; Saule frater, Dominus Iesus misit me, ut videas, & implearis Spiritu sancto: igitur sinu illius impositionis manus fuit donū Spiritus sancti.* RESPONDEO Ananiā exposuisse simul finem proximum, & remotum sui aduentus. *Finis enim proximuserat, curatio à cæcitate, finis remotus, perfecta iustificatio, & infusio Spiritus sancti, quam pauld post consequutus est Paulus per Baptismū.* Unde pauld antea describitur visio Pauli, qua antè præuidit, quod futurum erat: *Et vidit, inquit Lucas, virum introeuntē ad se, Ananiam nomine, & imponentē sibi manum, ut visum recipiat, &* cap. 21. Actor. ubi narrat ipse Paulus totam hanc historiam, nihil se accepisse dicit ab Anania, nisi de pulsione cæcitatē, & postea Baptismum. Est autem valde probabile Paulum, ut ceteros Apostolos, immediatē à Deo accepisse Confirmationē sine humana impositione manuum.

Argumentum QUARTVM. Si iure diuino Episcoporum est proprium confirmare, quomodo id etiam presbyteris Gregorius concessisse legitur? RESPONDEO; iure diuino solos Episcopos esse ordinarios ministros huius Sacramenti. At nō inde sequitur, quin extra ordinaria concessione id possit etiam presbyteris conuenire: sicut etiam iure diuino proprium est Episcoporum prædicare; & tamen eorū concessione prædicant etiam Presbyteri, & aliquando etiam Diaconi.

Sed instant quidam Catholicorum; Confirmare, aut conuenit Episcopo ratione ordinis, aut ratione iurisdictionis. Si ratione ordinis, nullo modo potest id concedi iis, qui non habent eum ordinem, ut patet in similibus; nec enim potest vlla dispensatione fieri, ut Diaconus consecret Eucharistiam. Si ratione iurisdictionis, ergo posset Episcopus non consecratus confirmare; quia habet ipse ordinem presbyteralem & iurisdictionem Episcopalem. RESPONDEO; Confirmare esse actum ordinis; & eum ordinem esse etiam in presbytero, saltem inchoatum



choatum, & imperfectum. **OBSERVANDUM** est enim, characterem Episcopalem, siue sit alius à presbyterali, siue idem extensior, & maior; esse potestatem absolutam, & perfectam & independentem conferendi Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, & ideò non solum posse Episcopum sine alia dispensatione confirmare, & ordinare; sed etiam non posse impediri ab vlla superiori potestate, quin reuera Sacramenta ista conferat, si velit, licet peccet si id faciat, prohibente summo Pontifice: characterem autem presbyteralem esse quidè potestatem absolutam, perfectam, & independentem, quoad Sacramentum Baptismi, & Eucharistiæ; esse autem potestatem inchoatam, imperfectam, & dependentem, à voluntate superioris, quoad Sacramentum Confirmationis. Quocirca nisi perficiatur per dispensationem superioris ea potestas, presbyter confirmando nihil ageret: at si perficiatur, iam ex ipso suo characterem confirmabit. Id quod minus mirum videbitur, si cogitemus, characterem non esse physicam aliquam potentiam, quæ physice aliquid operetur, (tunc enim difficile esset intelligere quomodo possit perfici per dispensationem Pontificiam) sed esse signum diuini cuiusdam pacti, quo Deus concurret ad effectum sacramentalem producendum cum eo, qui habet characterem, & non cum aliis: facile enim est intelligere, vnum characterem esse signum pacti absoluti, alium autem esse signum pacti conditionati. Sed de his hactenus.

**QVINTVM** argumentum est Kemnitij, loco citato. Scriptura ignorat differentiam Episcopi, & Presbyteri. **RESPONDEO.** Nò Scriptura id ignorat, sed Kemnitijs Scripturam ignorat. Nam *1. Tim. 6.* cum dicitur: *Aduersus presbyterum accusationem nolite recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus:* apertissime tantum discrimen ponitur inter Episcopum, & presbyteros, quantum est inter principem, & eius subditos. Quocirca Arianus ob hoc ipsum hæretici dicuntur ab Epiphano *hæres. 75.* & Augustino *hæres. 53.* quod negauerint hoc discrimen.

**SEXTVM** argumentum eiusdem Kemnitij. Hieronymus in dialogo contra Lucifer. dicit, ob honorem sacerdotij fieri, vt soli Episcopi manus imponant, non ob legis necessitatem. **RESPONDEO;** Locum hunc pro nobis maxime facere. Nam **HIERONYMVS** non negat, solis Episcopis licere Confirmationem dare post Baptisma; imò hoc affirmat, & infra id ipsum probat exemplo



exemplo Apostolorum, qui in Samariam profecti sunt, ut eos confirmaret, quos Philippus baptizauerat. Et præterea causã reddit, cur id voluerit Dominus proprium esse Episcoporum; quia id requirebat honor summi sacerdotij. Nã ut paulò post ipse idè magis explicat, necesse est in singulis Ecclesiis esse vnum Episcopũ, ne si multi sint pares, & non ad vnum summa referatur, schismata fiant: hinc igitur Dominus voluit quædã esse propria Episcoporum, ut inde eorum eminentia supra ceteros, appareret. Illud autem (*non ob legũ necessitatem*) non refertur ad legem ministrandi Confirmationem, sed ad legem consequendæ salutis: significat enim Hieronymus nõ esse necessarium ad salutem absolutè, ut quis ab Episcopo confirmetur, nam etiã sine tali Confirmatione per solum Baptisma saluari potest. Vnde continuo subiungit, explicans quod dixerat: *Non ob legũ necessitatem; alioqui lugendi essent, qui in vinculis à presbyteris vel diaconis baptizati antè moriuntur, quàm ab Episcopis inuisantur.* Quod si id non placeat dici potest, loqui Hieronymum de lege, quæ sumatur ex natura rei, ut sensus sit; id esse tributum solis Episcopis, non ob legis necessitatẽ, id est, non quod id necessariò requirat natura rei, quasi aliter fieri non posset; sed quia voluit Dominus hac re honorare Episcopalem dignitatem.

SEPTIMUM argumentum. A multis iam annis in Germania nulli ferè Episcopi confirmant, sed suffraganei quidam, qui sunt fictitij Episcopi, & larvæ Episcoporum potius, quàm Episcopi. RESPONDEO; Suffraganeos esse veros Episcopos, quia & Ordinationem habent, & iurisdictionem, licet careant possessione propriæ Ecclesiæ. Quocirca licet non possint extra suam Ecclesiam confirmare sua auctoritate, possunt tamen si ad id inuitentur à proprio Episcopo.

CAPVT XIII.

De caremoniis Confirmationis.

**D**UPLICES sunt caremoniæ in hoc Sacramento. Primum enim multæ caremoniæ adhibentur in consecratione Chrismatis feria V. in Cœna Domini. DEINDE quædam etiam adhibentur in ipsa collatione huius Sacramenti

ACTE